THESIS I.

Sponſalia à ſpondendo dicta ſunt *L. 2. D. de Sponſ.*, apud veteres enim mos erat, ut puella nuptura promitteretur viro à Parentibus, Tutoribus, vel Amicis, ſub quorum curâ erat & poteſtate SANCH. *L. 1. Diſp. 1. n. 1. de Sponſ.*, hinc, quæ ſpondebatur Sponſa, cui ſpondebatur Sponſus, qui ſpondebat, ſponſor, dies, quo ſpondebatur, ſponſalis, totus verò is apparatus & contractus ſponſalia appellabantur. *L. 3. D. h. & L. 7. D. de V. O*, accipiuntur verò tripliciter, 1mò minùs propriè pro arrhâ & muneribus, quæ à ſponſo ſponſæ dantur. *L. 5. C. h. & L. 1. C. ſi Nuptiæ ex reſcript. pet.*, quem ſenſum etiam ſacræ litteræ expreſſerunt 1. *Reg.* 18. *v.* 25., ubi Saul Davidi ob paupertatem ſuam tergiverſanti inire Matrimonium cum Michol Filiâ Saulis, eum quaſi imitans, renuntiari juſſit; *non habet Rex Sponſalia neceſſe*, id eſt: munera & opes ſponſi. 2) Pro Matrimonio rato & nondum conſummato, quo modo Matth. 1. dicitur: *cùm eſſet deſponſata Maria Mater JEſu Joſeph*, & tamen paulò poſt conjux Joſephi appellatur. 3) Magis propriè & uſitatè pro futuri Ma-

trimonii promissione, & ita sunt quoddam illius præambulum, unde dicuntur cum addito: sponsalia de futuro, ad distinctionem sponsalium de præsenti, quæ sunt Matrimonium ratum nondum per copulam consummatum PIRH. *de spons. n.* 1. nomine sponsalium simpliciter positorum interim veniunt illa de futuro. LAYM. *L.* 5. *Tract.* 10. *p.* 1. *n.* 1.

II.

Posteriora hæc rectè definiuntur in *L.* 1. *D. h. t.* quòd sint mentio, *id est*: promissio & repromissio futurarum Nuptiarum REIFFENST. *ad decret. tit. desponf. n.* 4. *& seqq.* Promissio enim sinè repromissione, licèt acceptata, vim non habet sponsalium, ideóque si Titius Cajæ promittat Matrimonium & illa promissionem acceptet, sed sinè animo vicissim se obligandi Titio, hâc promissione, & acceptatione obligatio sponsalitia nulla contrahitur, ENGEL *ad decret. tit. de spons. n.* 2. PIRH. *h. n.* 3. REIEFENST. *h. n.* 16. *&* 41. & Titius in casu dato, usque dum Caja repromittat, suam promissionem revocare potest. SCHMALTZGRUB. *cit. tit. n.* 44. nisì tempus ad deliberandum dederit, *Laud.* SCHMALTZGRUB. *loc. cit.*, aut, quod rarò præsumitur, quis voluerit liberaliter promittere, tunc obligatur, si altera pars velit contrahere Matrimonium PIRH. *loc. cit.* REIFFENST. *n.* 17. similiter, si tractatus de sponsalibus hìc & nunc contrahendis præcesserint, tunc eo casu, postquam una pars intentionem contrahendi sponsalia sufficienter declaravit, & promisit Matrimonium, altera pars acceptando promissio-

nem

nem censebitur Matrimonium virtualiter repromisisse. ENGEL *h. t.* §*pho* 2., sola interim taciturnitas, quemadmodum in Thesi non infert repromissionem, sic nec ordinariè constituit sponsalia, de mente tacentis aliud nisì inferant circumstantiæ: indéque sola manûs porrectio vel annuli, aut alterius rei donatio, quantumvis, ex quo sponsalia eruantur, signum non sit sufficiens, tractatus tamen de sponsalibus vel matrimonio, si præcesserit, muliérque manum porrigens annulum, vel alia dona acceptaverit, consensus talis censetur esse expressus, sícque contracta censenda sunt sponsalia.

III.

Ad sponsalia validè contrahenda habiles ut sint personæ, desiderari in iisdem usum rationis, res plana est, quare illa neque ab infantibus, nisì præcocitas, ingenii antevertat annos & malitia ætatem ante septennium suppleat, contrahi validè possunt. REIFFENST. *tit. de Desp. imp. n.* 4. Expressio interim hæc: malitia supplet ætatem, aliter intelligitur in sponsalibus, aliter in Matrimonio: in ordine ad sponsalia, malitia vel potiùs prudentia dicitur ætatem supplere, dum ante tempus à jure ad illa præscriptum adest sufficiens rationis usus; in ordine vero ad Matrimonium malitia supplet ætatem, quando ante tempus Matrimonio præfixum, quod est in maribus annorum 14. & in puellis annorum 12. utrobique completarum, non solum adest sufficiens rationis usus ac judicii discretio, sed etiam prodit se potentia ad coitum & generationem, potentia hæc coeundi vocatur

catur etiam pubertas naturalis, & hæc in quibusdam præcedit pubertatem legalem, id eſt ætatem, quam leges præſumptione communiter contingentium determinaverunt. TOURNEL *Theol. mor. tom. X. h. t.* eâdem ex ratione neque ab amentibus, *Cap. dilectus* 24. *h. t.*, neque à plenè ebriis, SCHMALZGR. *h. t. n.* 15. validè contrahi poſſunt ſponſalia; deſideratur itidem capacitas exprimendi conſenſum exteriùs per verba vel ſigna, *arg. Cap. cum apud* 23. *h. t.* SCHMALTZGR. *h. t. n.* 47. & ut nullum reſiſtat à lege agnitum impedimentum, licet etiam juratò contractum foret. REIFFENST. *loc. cit.*, niſi forent conditionata ſub conditione: ſi Papa diſpenſaverit, hæc enim inter perſonas impeditas obligant ad petendam, & exſpectandam diſpenſationem, dummodo diſpenſari ſoleat, & adſit juſta cauſa PIRH. *de Cond. appoſ. n.* 26. REIFFENST. *eodem t.* 2. *n.* 17. KÖNIG *h. t. n.* 17. obtentâ hac diſpenſatione novo haud opus eſt conſenſu, PIRH. *l. cit. n.* 27. REIFFENST. *n.* 33. *& ſeq.* licèt enim CARD. de LUCA *in annot. ad Conc. Trid. Diſc.* 27. in hoc caſu contrariam propugnet ſententiam, malo tamen ego cum *laud.* REIFFENST. propter plures ab eo adductas Rotæ deciſiones primam defendere.

IV.

Ad ſponſalium valorem nulla ſpecialis deſideratur ſolemnitas, *Cap.* 23. *Cap.* 25. *h. t.* nec conſenſus parentum, cùm hic neque ad Matrimonii valorem requiratur, *Conc. Trident. Seſſ.* 24. *de reformat. Matrim. Cap.* 1. quamvis, ut licitè contra-

trahantur, omninò desideretur, ENGEL *de desp. impub.* §*pho.* 2. *n.* 6. REIFFENST. *h. tit. n.* 23. & *seq.* nil obstat tamen, quominus Parentes pro prolibus sponsalia contrahere valeant. REIFFENST. *h. t. n.* 61. non tantùm Pater sed & Mater. PASSERIN. *in Cap. un. de Desponſ. impub.* §*pho fin. n.* 24. ex quibus, si expressè vel tacitè consenserint, ut, si præsentes fuerint, & non contradixerint, obligantur. *Cap. un. de desp. impub. in* 6. si verò absentes desponsi fuerint, & Parentes postea id iis significaverint, filii verò tunc non contradicant, dignoscuntur etiam tacitè consentire. SCHMALTZGR. *h. n. n.* 61. secùs si se à Parentibus desponsos aliunde perceperint, REIFENST. *n.* 64. & 65. ubi autem frater pro sorore, tutor pro pupillo, aut alius quis pro alio sponsalia contrahere contendit, non sufficiet sic sola desponsorum præsentia, ac taciturnitas, sed præterea opus est alio signo externo, quo præsens sic se desponsari edoctus consensum sufficienter manifestet. SANCHETZ *de Matrim. L.* 1. *disp.* 23. *n.* 7. SCHMALTZGR. *n.* 67. & 68. solus enim consensus internus non sufficit, cùm promissio non acceptata haud obliget. ENGEL *de desp. impub.* §*pho* 2. *n.* 5. *in fin.*

V.

Varias quoque sponsalibus adjici posse conditiones, satis notum est, quæ eâdem uti reliquis in contractibus, ratione varias recipiunt divisiones, diversósque producunt effectus, sic imò: alia est expressa, tacita alia, quæ scilicet ex naturâ rei actui inest, quemadmodum autem aliàs juris regula est. *Eadem*

vis

vis est taciti, quæ expressi, sic & hic in sponsalibus hæc procedit, sub hoc tamen notamine, quòd tacita actum non faciat conditionalem, nec actionem suspendat, aut obligationem, inde & est, quòd, si sponsalia supervenientem ob statûs mutationem dissolvantur, tamen publicæ honestatis impedimentum pariant, immò dicta hæc usque adeò procedere, conditio talis tacita simul verbis expressis actui si sit adjecta, probat *L.* 22. §. 1. *ff. quando dies legat. ced.*

Dividi 2dò conditio potest, in illam de præsenti, de præterito & de futuro; prima & secunda impropriè nominantur tales, cùm in incertum rem differre eventum proprietas conditionum sit, ideóque & propriæ conditionis effectum nullatenus producunt, sed dispositionem vel statim ratam reddunt, vel statim iritam §. 6, *inst. de verb. oblig.* proùt vel veræ, vel falsæ sunt.

Dividitur 3tiò conditio in possibilem vel impossibilem, proùt scilicet existentia ipsius possibilitati correspondet, vel impossibilitati, quid? quod pro diversitate impossibilitatis illa vel natura, vel facto, vel lege talis est, & vel repugnans substantiæ Matrimonii, id est, bono prolis, bono Sacramenti aut bono conjugis, vel non repugnans.

Quòd si jam conditio aliqua de futuro & possibilis sponsalibus adjecta sit, illam suspendere sponsalia, donec existat, & in casu non existentiæ annullare, omnes fatentur, at dubium tantùm est de impossibilibus, famosam decisionem *cap. fin. X. de condition. apposit.* hic quoque adplicandam esse sustinent multi, quorum tamen sententiæ, ut subscribam, à me impetrare

non

non poſſum, deciſio enim hujus Cap. eſt exceptio à Regulâ ſpecialiter ita in favorem Matrimonii præſcripta, & ſic omninò ſtrictè interpretanda, unde in ſponſalibus, utpote quæ nullibi inveniuntur excepta, ſtandum eſt regulæ, vi cujus conditio impoſſibilis contractui adjecta hunc vitiat; quòd ſi autem ſub conditione ſponſalia ſint inita, huic iterùm renuntiari poſſe, decidit *cap. 6. de Condit. appoſit.*, quod uſque adeo ſtatuit, renuntiationem illam tunc modo adeſſe, dum pendente adhuc conditione ſponſi jam copulam exercuerunt, cujus rei ratio, cum in matrimonio præſumto lateat, inde hodie ad loca, ubi Concilium Tridentinum obtinet, inadplicabilis eſt.

VI.

Qui fictè vel ex joco aut aliàs non ſeriâ intentione verba protulit ſecundùm communem uſum loquendi, vel loci conſuetudinem ſignificantia promiſſionem Matrimonii, ſi prævideat promiſſionem ab alterâ parte probari non poſſe, abſolutè etiam juratò & tutâ conſcientia negare poteſt Matrimonium ſe promiſiſſe, vel talia verba protuliſſe; REIFFENST. *h. t. n. 9. & 27.*, alioquin affirmans, ſe non ſeriò ſed fictè & jocosè promiſiſſe, fictionem hanc vel jocum probare, eo autem ſemiplenè tantum probato ad juramentum purgatorium admitti debet, minimè tamen ad hoc juramentum admittendus eſt ille, qui liberare ſe volens dicit, ſe doloſam tantum ac ſimulatam feciſſe promiſſionem ad obtinendum v. g. uſum corporis, quia turpitudinem propriam allegans jam

 ſuſ-

ſuſpectum ſe facit, & indignum fide, ſicque minus habilem, ut juramentum ei deferatur, conſequenter juxta ſenſum verborum ad ducendam eam, cui promiſit, condemnandus erit. REIFFENST. *h. t. n.* 8., ſi quis ſe ſponſalia contraxiſſe faſſus fuerit, ſed ſub conditione: ſi parentes vel proximiores de familiâ ſint conſenſuri, pars altera tunc hæc ſponſalia pro confeſſatis acceptare nequit, minùs onus probandi conditionem in taliter confitentem & excipientem conjicere. LA CROIX *de ſponſ. n.* 90. Confeſſio enim qualificata non eſt reſcindibilis. LA CROIX *loc cit.* nec in hac, nec in aliis materiis LAUTERB. *in diſſ. de confeſſ.* patula cujus ulteriùs in eo conſiſtit ratio, quod ille, qui implendorum ſponſalium intuitu provocat ad judicium, hæc pura eſſe aſſerat, & aſſerere neceſſariò debeat, actione cæteroquin non competente, per conſequens & probationis eundem ſuſtinere eo ſub tenore oportet provinciam, quòd vel purè ab initio contracta ſint ſponſalia, vel abſterſa poſtmodum ſit conditio.

Interim quid ſtatuendum, ab initio ſponſalia ſub conditione, ſi fuerint contracta, ſub conſenſûs parentalis E. g. reſervatione, data autem poſtmodum fuerit, & acceptata arrha purè, talia ſponſalia num adhuc ſint conditionata, an abiêrunt in pura, quæſtionis eſt, & abſterſam dico eſſe conditionem, *Arg. L.* 73. *D. de hæred. inſtit.* Itaque enixæ voluntati purè, & ſimpliciter contrahendi à ſponſa, ſi non fuerit contradictum, ſed arrha purè oblata, purè etiam fuerit

acceptata, ex concordatâ partium voluntate non potest non exclusa haberi pristinæ conditionis, seu qualitatis repetitio. ALEXANDER *Lib.* 2. *cons.* 122. *n.* 4. *Lib.* 3. *cons.* 27. *n.* 4. in fine, & eâ iterùm recessum. *Rota Romana coram Albergato p.* 19. *tom.* 1. *recent. decis.* 213. *n.* 3., Pacta quippe novissima servari oportere tam juris, quàm ipsius rei æquitas postulat, præcipuè novissima cum prioribus incompatibilia si sint, & invicem repugnantia *L.* 12. *C. de pact.* CARD. TUSCH. *consil.* 451. *n.* 1. *&* 22. *Lit. P.*

VII.

Varios sponsalia legitimè contracta parere effectus notoreitas sat locuples testis est, ad Matrimonium contrahendum obligant enim imò utrumque promittentem, idque in thesi sub peccati mortalis reatu: quid autem, solemnizationi certum si non fuerit præfixum tempus? *in omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die debetur*, ait POMPONIUS *in L.* 14. *D. de R. I. L.* 41. §. 1. *D. de verb. oblig.*, compellitúrque per Judicem Ecclesiasticum, qui in morâ est, ipso ex Matrimonio infaustus nisi futurus esset exitus, quem tamen solummodo obligari minimè sufficit, indéque improba illa foret Judicis sententia, quæ partem in sponsalium materiâ victricem adigeret, ut Matrimonii contrahendi loco actionem ad interesse deduceret in judicium.

Alter

Alter ſponſalium legitimè contractorum effectus eſt, quòd publicæ honeſtatis inducant impedimentum, quæ ipſa eſt aliqua quaſi affinitas, quæ per animorum oritur conjunctionem, primum hodie gradum non excedens. *Trid. Seſſ.* 24. *de reform. Matrim. C.* 3. ex ſponſalibus interim conditionatis pendente conditione regulariter publicæ honeſtatis non oritur impedimentum, ſponſa proin ante conditionis eventum mortuâ, hujus ſororem, vel conſanguineam aliam licitè & validè duci in uxorem, ſcriptum reliquit ENGEL *L.* 4. *§.* 6. *n.* 7.

VIII.

Diſſolvuntur ſponſalia inprimis mutuo contrahentium conſenſu *arg. cap.* 1. *de reg. Jur. in* 6. dein per Matrimonium validè, quantumvis illicitè cum aliâ contractum *cap.* 22. 31. *h.*, unde ſi Titius poſt ſponſalia contracta cum Cajâ duxerit Semproniam, prima ſponſalia ab utraque parte omninò eſſe extincta, cum aliis docet PIRH. *n.* 59., ego tamen cum SCHMALTZGR. *de ſponſ. duor. n.* 34. aliisque ſentio liberam dato in caſu quidem eſſe Cajam, huic autem Titium adhuc manere obligatum: ſimiliter, ſi contractis jam ſponſalibus Titius Religionem ingreſſus fuerit, ante Profeſſionem verò ad ſæculum reverſus, verius exiſtimo Titium manere obligatum, non ſponſam PIRH. *n.* 50. REIFFENST. *n.* 227. *& ſeq.*, votum quoque cœlibatûs, aut ſuſcipiendi ſacros Ordines non ſolvit ſponſalia quoad voventem, benè verò quoad partem alteram. REIFFENST. *n.* 235.

&

& seq. KÜGL *partis primæ parte 3tiâ n. 9. & 5pho 2. q. 2.* 3tiò per quodcunque superveniens impedimentum dirimens *Cap. super eo 2. de Consang. & affin.*, 4tò alterâ parte invitâ resilire potest pars una ob diuturnam, cui non consensit, absentiam *Cap. de illis 5. h. tit.*, nec non 5tò ob sponsi, vel sponsæ fornicationem pars innocens, nec minùs ob fornicationem sponsæ sponsalia licèt antecedentem, sponso tamen pro tunc incognitam, & post sponsalia primum detectam, sponsus resilire poterit. REIFFENST. *n.* 246.

IX.

Impræviſus quoque Parentum vel proximorum, cognatorum gravis dissensus conjunctus cum justis & seriis minis præbet justam resiliendi causam REIFFENST. *n.* 277. *& seqq.* ENGEL *de desp. impub. n.* 11. *Card. de* LUCA *de Matrim. n.* 11. *& seqq.* Idem dicendum de subsecutâ, vel detectâ corporis vel morum deformitate. REIFFENST. *n.* 262., ut quando unus illorum passus est gravem jacturam famæ ex hæresi, veneficio, latrocinio, furto, &c. ortam, SANCH. *L.* 1. *de Matrim. Disp.* 57. *n.* 2. aut ebrietati, scortationibus, rixis, aliove simili vitio reperitur deditus. SCHMALTZGR. *n.* 190. Item si aliquis ex sponsis amiserit unum vel utrumque oculum, truncatus fuerit naribus, auribus &c. *cap.* 25. *de jurej.* aut inciderit in lepram, morbum gallicum, paralasyn, epilepsiam, vel alium morbum incurabilem, & contagiosum; uti & si habeat alte-

ruter

ruter, graveolentiam aris, quæ arte medicâ superari non possit. *d. Cap.* 25. SCHMALTZGR. *n.* 89. Similiter subsecuta vel detecta alterutrius paupertas alteri parti justa resiliendi causa est, sed si uterque in eandem delapsus fuerit paupertatem, probabiliùs sustinerem utrumque posse resilire. REIFFENST. *n.* 263. KÜGL. *partis primæ part.* 3*tiâ* §*pho* 1. *n.* 26. An autem è contrario una pars post sponsalia notabiliter dives aut nobilis facta, ab altero jam imparis conditionis possit licitè resilire, quæstio est, cujus negativam sententiam tanquam communiorem amplector *cum* SCHMALTZGR. *n.* 192. PIRH. *n.* 64. SANCH. *d.* 5. *q. cit. n.* 7.

X.

Demum quoties talis sequitur, vel detegitur mutatio, ut, si illam pars altera scivisset, & prævidisset, sponsalia non contraxisset, vel ex quâ Matrimonium redditur notabiliter difficilius, toties poterit altera pars resilire. PIRH. *n.* 63. REIFFENST. *n.* 255. & si notabilis sit defectus, ut propter eum alii quoque prudentes non fuissent contracturi, tunc juramento resilire volentis standum erit PIRH. *loc. cit.* REIFFENST. *n.* 256. *seqq.* Injustè verò, qui resilit arrham datam perdit, acceptam autem in duplo restituere tenetur. *L.* 3. *&* *L.* 5. *C. h. t.* Nisi aliud receptum sit consuetudine vel obtineat alio jure speciali. *Pirh. n.* 25. *Reiffenst. n.* 180,, aut is, qui

vo-

voluntate mutatâ renuntiavit ſponſalibus, ſit minor 25. annis, & veniam ætatis non impetraverit, iſte enim arrhas datas non perdit. Etſi eas accepit ipſe, acceptas duntaxat reſtituit, non verò præſtat alterum tantum. *L. 3. cit. Schmaltzgr. n.* 127. inſuper injuſtè reſiliens parti diſertæ injuriarum tenetur, & ad refuſionem expenſarum omniúmque damnorum *Barboſ. ad C. gemma* 19. *h. t.* non tamen ad intereſſe lucri ceſſantis. *Barbos. l. cit.*, qui verò juſtâ ex causâ reſilit, ut ſi ingrediatur religionem, ad ullas expenſas alter non tenetur, *Sanch. L.* 5. *Diſp.* 5. *n.* 33. ad eas tamen tenetur pars illa, quæ ſuâ culpâ alteri juſtam dedit reſiliendi cauſam. *Reiffenſt. n.* 322. Non impedit proin, quin & pœna conventionalis adjiciatur ſponſalibus, ad implenda enim ſponſalia pœnæ eccleſiaſticæ ſi locum habeant, injuſtæ reſilientiæ arrhæ ſi quadret amiſſio, cur non & pœna conventionalis?

dicâ ſuperati non poſ
Similiter ſubſecuta vel
rti juſta reſiliendi cauſa
ſus fuerit, paupertatem
reſilire. Reiffenst. n.
bo 1. n. 26. An autem
bilitèr dives aut nobilis
is poſſit licitè reſilire,
m tanquam communio,
192. Pirh. n. 64.

vel detegitur mutatio, ut
idiſſet, ſponſalia non con-
redditur notabiliter diff-
lire. Pirh. n. 63. Reif-
efectus, ut propter eum
ontracturi, tunc juramen-
rh. loc. cit. Reiffenst.
lit arrham datam perdit,
tenetur. L. 3. & L. 5.
onſuetudine vel obtineat
rnſt. n. 180., aut is, qui
vo-